

# DE HÆRESI THESES THEOLOGICÆ,

QUAS IN PVBLICA DISPVATIONE DEFENDET

eruditus artium Magister Vuolfgangus Holl sub R. P. S. S. Theologiae  
Doctore & Professore D. Hermanno Thyreo.



**H**æresis uox græca est, & electionem significat: hæc differt à Schismate, quod hæresis sine errore fidei, ut Christiani de ea loquimur esse non possit, Schisma uero esse possit ac soleat.

Est autem hæresis dogma nouum aut falsum, quod aliquis professione Christianus contra fidei Catholicæ ueritatem agnitam, cum pertinacia uel asserit, uel defendit.

3 Multa quidem opera fidei errorem aperte produnt, nullum tamen opus quantumuis sceleratum hæresis nomen promeretur.

4 Ad Catholicæ fidei ueritatem in uniuersum pertinet, quicquid è sacrís & Canonicis libris iuxta antiquam & receptam sanctorum patrum expositionem ad fidem pertinere decernitur: tum quicquid aut plenaria Concilia, aut sedes Apostolica credendum esse declarat: postremo quicquid perpetua Ecclesiæ Romanæ traditione in rebus fidei ut obtineat confirmatum est.

5 Fatemur fieri posse, ut falsam & peruersam sententiam in rebus à Deo reuelatis absq; hæresi, atq; etiam absq; omni peccato quis doceat atq; defendat. Ita cum Augustino Catholicus dixerit. Errare possum, hæreticus esse non possum.

6 Hæresum cause sunt uariæ, uti malorum incentor Sathan, populi grauiâ peccata, prælatorum ignauiâ, sacrarum literarum deprauatio ac prophanatio, quam auget etiam ista Bibliorum in peregrinas linguas nimium uulgaris traductio.

7 Eodem spectant intermissio longa Synodorum, tyrannís & auaritia principum, Philautia amorq; sui, tum immodica & indiscreta prophanorum scriptorum lectio, inueterata quoq; consuetudo peccandi, magna uitæ impuritas, inanis gloriæ & humanæ laudis cupiditas, inuidia, æmulatio, alios præsertim Ecclesiarum ministros insectandi libido, & impunita audacia, imperitia, & eorum quæ diuina sunt sensus captusq; imbecillís, demum ut reliquas id genus causas alias prætermittamus, cum hæreticis & eorum scriptis frequens consuetudo atq; commercium.

8 Neq; citra fructum omnem hæreses pullulant ac serpunt in Ecclesia, Hinc enim Deus sanam Ecclesiæ doctrinam magis illustrat, mundoq; comprobat, hinc obedientiam & Zelum Catholicorum exercet ac prodit manifestius, hinc multorum etiam doctorum pigritiam excutit, acuit ingenia, doctrinam auget, peccata expurgat, paleas excutit, triticum ostendit, ut rectè dixerit Apostolus: Oportet hæreses esse.

9 Multis rationibus agnoscuntur & conuincuntur, qui fædo hæresis crimine obligati tenentur. Habent illi in scriptura quidem diuina non obscuras notas, typos & appellationes, unde cuius innotescant. Clarius autem deprehenduntur per plenariorum Conciliorum, sedis Apostolicæ & Episcoporum decreta, Tum seipsos produnt ex studio deprauandi mutilandiq; scripturas Canonicas, & per nouas, peregrinas ac impuras earundem interpretationes.

10 Ad hæc cognoscuntur ex sacrilegis nouandarum rerum studijs, & ex illo fastu ac supercilio hæreticorum omnium maxime proprio, dum alijs omnibus derogant, quam sibi arrogant, & sumunt libertatem & auctoritatem de sacrosanctæ fidei mysterijs pronunciandi, ueterum patrum scripta iudicandi, Ecclesiæ decreta conuellendi, pontificum item & episcoporum sententias calumniandi, dum illos non fidei ueritas & obedientiæ simplicitas, sed disputandi libido delectat.

11 Tam graue malum est hæresis, ut Augustinus uehementer disputet, peccetne grauius, qui nesciens in hæresim incidit, an is qui sciens ab idololatria non recedit, nec audet statuere peiorne sit habendus, in cuius uita, præter id quod hæreticusest, ni hil homines inueniunt, quod reprehendant, an alius, qui præterquam quod Catholicus est, nihil honestè in uita præstat.

12 Rectè à maioribus iudicatum est, hæresis crimen graui & multiplice punitione dignum esse, ut mereatur mortem æternam ac temporariam, præterea excommunicationem, infamiam, priuationem omnium priuilegiorum, destitutionem officiorum & honorum publicorum, abdicationem etiam bonorum quæ ante & post mortem ( ut sit in crimine læsæ Maiestatis ) hæreticorum esse uidebantur: ad hæc dignum quem facit carcere perpetuo, banno itidem ( ut uocant ) & similibus id genus pænis partim Ecclesiastico, partim Cæsareo iure præscriptis & iniunctis. Adeoq; tanta est huius criminis enormitas, ut fautores hæreticorum & cum ijs habentes commercium Christianis legibus merito puniri præcipiantur. Quin etiam uxores filios & cognatos hæreticorum iam olim publicis legibus castigatos legimus.

13 Et rectè sacra uetustas illud cauit ne in usu essent libri, in quibus hæresis reperitur, cuiusmodi ueterum leges diuinæ scripturæ testimonijs & rectæ rationi sanctorumq; patrum imitandis exemplis sunt consentaneæ.

14 Ad extirpandas hæreses cum Christiani imprimis, tum Episcopi, Imperatores, Reges & Magistratus omnes suas conferre curas, operas & facultates debent, nihilq; procurare studiosius, quam ut ab hæreticis Ecclesiæ ueritas & integritas uindictur.

## EPIGRAMMA IN HÆRESES SVIS

ipsarum disidijs mox perituras.

**S**ineq; scripturis, neq; iam rationibus ullis,  
Nec patribus sanctis, credere secta uolet.  
Non tamen euadet diuinæ fulmina dextræ,  
Non impune diu crimina tanta feret.  
Imò quidem certis liceat si credere signis,  
Pro israele Deus pugnat & ille sedet.  
Nam uelut insano miles Pharaonius ausis  
Intrat Erythreas mox periturus aquas.

Vtq; Philistei gladijs in mutua uersis  
Vulnera, cum Ionathas exierit ora, cadunt.  
Vt quoq; ego exemplis ad uilia uilibus utar,  
Vt nimio fluitans bulla tumore crepat.  
Papilio ut se ultro flamma cremat ipse petita,  
Perniciemq; sibi turdus & ipse creat.  
Vtq; suo tumidi frangunt se uerbere fluctus  
Et tenebræ fuso lumine sponte ruunt.

Vt sua certantes sternit uolentia uentos  
Disipat ut proprius nubila densa fragor.  
Sic facili Christi nutu cito pulsa fatiscet  
Hæresis, & proprio uicta furore cadet.  
Diuisum regnum nam desolabitur, inquit,  
Plantaq; quam Pater haud inserit illaperit.  
Tutius in Petri, quisquis legis ista, manebis  
Nauicula, in portum te, mihi crede, uehet.

De ijs disputabitur. 10. Septembris in schola Theologorum hora ante prandium septima CHRISTO propicio.

Ingolstadij excudebant Alexander & Samuel Vveiffenbornij fratres.  
Anno 1560.



DE HAERESI THESIS THEOLOGICA

ON THE DIFFERENCE BETWEEN...

A. 1360.

Faint, illegible text in the upper section of the page, possibly bleed-through from the reverse side.



Faint, illegible text in the middle section of the page, continuing from the upper section.

EPICURAEAE IN THE...

Faint, illegible text in the lower section of the page, possibly bleed-through from the reverse side.